

petus quemque fert ad hæc vel illa, relaxare animos, & dare se iucunditati solent. Ego verò, quoties mihi aliquid temporis supereft, à laboribus meę vocationis, id omne (absit iactantia dictis) honestis studiis consecrare consueui: & quoties vnius alii-  
cuius, diuturnæque lectionis me cœpit fastidium: id permutatione in aliud genus, aut alia quadam meditatione depellere, & excutere conor. Quem-  
admodum enim ciborum & obsoniorum varietas, etiam ventre saturo, gulam irritat: ita lectionis va-  
rietas & permutatio nouum quoddam desiderium nouósque quosdam motus in animis hominum ex-  
citat: vt alter animi labor, prioris veluti quies, & no-  
uæ voluptatis perfructio esse videatur. Maximè ve-  
rò nos afficit repetitio eorum studiorum, quibus aliquando iuuenes eramus dediti: inter quæ princi-  
pem locum sibi vendicant Mathematum discipli-  
næ: has enim in aliquot docui scholis: & propè so-  
lus, si dicēdum est, quod verum est, ante annos plus  
minus xxv, in isto Maiestatis vestre Archigymnasio  
illam conseruaui: ac meo quantulocunque studio  
& labore iuui, vt deinceps absque interruptione, in  
hanc usque diem fuerit cōtinuata. Nam cùm essem  
vnicus auditor clariss. viri D. Andreæ Perlachii, an-  
no propemodum integro, relictus: & alii, qui eum  
tum temporis vnâ mecum audiebant, vel vita de-  
cessissent, vel alio studiorum causa commigrassent,  
inter quos fuit Georgius Drascouitius, nunc Reue-